QUAEDAM DE SANGUINIS EVACUATIONIBUS TOPICIS ELUCUBRATIO...

Edoardo Polzer

QUAEDAM DE

SANGUINIS EVACUATIONIBUS TOPICIS ELUCUBRATIO

EDUARDI POLZER

IN

PATAVINO ARCHIGYMNASIO

HABITA

SUMMOS LAUREAE HONORES CONSEQUENTIS

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI

132

DOMINO DOMINO

JOANNI MEYR

VIRO

VIRTUTE HUMANITATE ET CLEMENTIA

EGREGIO

HAS PAGELLAS

IN

PUBLICUM SUMMAE VENERATIONIS

ATQUE

GRATITUDINIS PERENNIS

SPECIMEN VOVET

Devotissimus et gratissimus

Auctor.

Mit inniger Freude ergreife ich den gewünschten und heiligen Augenblick, der es mir vergönnt Denselben, in dem zwar geringen, aber aus dankbaren Herzen Denselben' gewidmeten Werckchen einen fortwaehrenden Beweis meines ewigen innigen Dankes an Tag legen zu dürfen.

Ihrer Liebe und Edelmuthe danke ich es, dasz ich in die Sphaere des Wirkens und Handelns — was allein den Zweck menschlichen Daseyns adelt — tretten kann, Ihrer schutzenden Liebe, die mir sicheres Obdach gegen die Sturme die mich unfehlbar würden

getroffen haben, gewächrte. Nehmen dieselben diesé Zueignung als den sprechenden Beweis meiner ewigen Dankbarkeit und kindlicher Liebe an, erhalten mir auch ferner noch Dero vaeterliches Wohlwollen um das Dieselben kindlich bittet

Dero

dankbarster
F. Pozza.

A. DE SANGUINIS EVACUATIONIBUS IN GENERE

Usus illarum sanguinis evacuationum, quae *hirudinum*, *cucurbitarum* atque *scarificationum* ope perficiuntur, est quoque vetustus, divulgatus, et ad morbos varios debellandos efficacissimus, imo, quam maxime necessarius.

DIGNITAS HARUM SANGUINIS EVACUATIONUM

Hae sic dictae topicae sanguinis missiones, si in infantibus tenellis aut in subjectis tenerioribus sat large instituuntur, cum illis universalibus hoc quidem commune habent, quod absolutam sanguinis massam imminuant, et cum hac et vitae reproductionem, et processum in toto organismo vitalem—licet minori gradu et longe serius retardent, ubi quidem indicatae phlebotomiae primarias partes agunt atque ejus loco applicari

possunt, nunquam tamen in subjectis adultioribus, aetatis vegetae, ubi illarum actio magis ad partem, cui immediate applicantur, limitatur, et totus organismus minus debilitatur, probe indicatae et rite institutae, venaesectionis vices agere possunt, et hac quoque ratione iis nomen *topicarum depletionum* omni covenit jure.

In febribus itaque acutis sthenicis adultorum ex abundante sanguinis copia, aut quibuscunque causis inductis, nonnisi per universales cruoris detractiones ablata plethora universali, mitigata febri, fractaque phlogosi, locum habere possunt; secus enim praesente vera plethora, aut reactionis excessu in toto vasorum systemate, non tantum non prosunt, imo haud parum nocent, quoniam irritatione, qua illarum applicatio stipatur, cognita illa pathologiae generalis lege, qua omnis irritatio attrahit, major sanguinis copia ad partem affectam allicitur, vasa ibi magis, accumulato sanguine, extenduntur, irritantur, et status morbosus priori multo pejor certe inducitur, quin morbus universalis manifeste simul imminuatur.

Eo efficatior e contra eorundem effectus illis in malis, quae minus ex plethora universali aut ex sanguinis ab universali corporis et arteriarum excedente orgasmo, quam ex locali vasorum activa congestione et exaltata exinde nervorum sensilitate, aut ab impedito sanguinis per venas regressu originem repetunt, ubi, cum in ipsa parte

affecta, aut in loco saltem huic proximo instituí possint, certe praestantissimum efficacissimumque suppeditant remedium; et quum organismum universalem vix debilitent, hinc et ipsi morbi asthenici, urgente singularum corporis partium affectione, earum usum admittunt, imo exposcunt.

EFFECTUS HARUM SANGUINIS EVACUATIONUM

Hic in genere consistit in integumentorum communium, textus cellulosi, fibrarum muscularium, nec non systematis vasculosi, nervorumque superficialium laesione, minori majorive irritatione stipata; porro in locali sanguinis accumulati depletione, in vitae vegetativae excedentis moderatione, et in reactione vasorum imprimis in parte affecta exuberanti compescentia, tandem in illa inter centrale systematis nervosi organon et ejus fines periphericas turbati aequilibrii restitutione, actione quidem antagonistica, per illam localem in cutis superficie excitatam irritationem, peracta.

Ex hac nempe systematis nervosi immutatione (i. e. ex hac a centrali systematis nervosi ad fines periphericos derivata incitatione) illa medendi vis seu salutaris effectus hirudinum et cucurbitarum adplicatione in malis mere nervosis intelligi potest.

MORBORUM FORMAE, TOPICAS SANGUINIS EVACUATIONES INDICANTES, GENERALES.

Ex hucusque de sanguinis evacuationibus in genere dictis, sequentes pro earum usu statuendae essent indicationes generales: in omnibus nempe morborum formis ubi activitas vasorum vel in toto organismo, vel in singulis ejus partibus ultra normam exaltata aut suppressa, sive per absolutam sanguinis detractionem (totum autem systema vasculosum non adeo debilitantem) seu per relativam sive topicam cruoris depletionem coërcere aut liberare necesse est; porro ubi malum quoddam profundius sive remotius, cum reactionis arteriarum vel activitatis nervorum excessu, per specificam modo antagonistico deducentem irritationem, (seu revultionem) aut per majorem sanguinis attractionem, (seu derivationem) aut per actionem vicariam, sive moderari sive penitus debellare oportet, indicatae sunt hae sanguinis missiones per scarificationes scilicet, per hirudines, vel cucurbitas celebrandae.

Ad ejusmodi morborum formas pertinent: *Omnes febres acutae graviores*, quae pro sua medela venaesectione indigerent, ob teneriorem vero corporis constitutionem, aut puerilem aetatem, aut idiosyncrasiam praesentem hujus institutionem impediebant; ita et ille *mitiores* vel

mitigatae per universales cruoris depletiones; nec non *omnes aliae morborum formae*, quae cum graviori ejusdem partis inflammatione, aut insignioribus sanguinis congestionibus circa organon nobile incedunt, sive ad febres asthenicas, sive cachexias, sive nevroses, sive ad haemorrhagias referendae essent.

Licet omnes illae sanguinis evacuandi methodi topicam, ut ita dicam, sanguinis depletionem quidem efficiant, nihilominus tamen (quum omnes non eodem modo et aequali irritatione sanguinem evacuent, pari modo partes organicas non vulnerent, aequalem revulsionis vel derivationis effectum modo antagonistico non impetrent, nec omnes parti cuilibet affectae satis proxime applicari valeant) pro varia forma morbi atque sede, pro vario scopo iis assequendo, pro varia aegrotantis aetate, atque corporis ejus constitutione modo hanc, modo illam caeteris praeferendam et adhibendam esse liquet; hinc brevem de cujuslibet methodi ratione tractationem non supervacaneam esse, existimarem.

B. DE SANGUINIS EVACUATIONIBUS TOPICIS IN SPECIE.

A. de usu scarificationum.

Scarificationes, quae in incisionibus cutis et musculorum superficialium partis cujusdam affectae consistunt, localem sanguinis efficiunt eva-

cuationem, cujus sequelae sunt: imminutio voluminis partis male affectae, ejusque tensionis, doloris, omniumque inflammationis symptomatum.

Indicantur itaque hae incisiones in illis malis localibus, ubi sanguinem in textum cellulosum effusum, aut in systemate capillari accumulatum seu stagnatum cito et immediate evacuandi scopus est, et tales imprimis si afficiuntur partes, ubi aliae sanguinem evacuandi methodi immediate applicari nequeunt, aut fini assequendo saltem non satis facerent.

Quadrant igitur in *intensioribus inflammationibus linguae, uvulae, tonsillarum,* si intumescentia insimul tanta, ut periculum suffocationis immineat; porro in *phlegmonosis inflammationibus,* praecipue ubi tumor ob aponevroses vel epidermidem multum incrassatam aut callosam, valde tensus, dolores vehementes, motus febriles exinde validi provenientes conspiciuntur.

Hinc in *inflammationibus manuum* atque *digitorum* (seu panaritiis) hominum laboribus gravioribus occupatorum v. g. fabrorum ferrariorum, lignariorum, murariorum etc. saepe unicum sistunt remedium ad exitum talium inflammationum in gangraenam praecavendum, et integritatem harum partium denuo restituendam. Mihi aliquoties ipsimet erat occasio in schola chirurgica practica Pragensi sub auspicio celeberrimi D. Professoris Fritz, panaritia, et inflammationes

phlegmonosas manuum, gradum summum jam adeptas observandi, quae incisionibus cutis, balneatione manuum in aqua tepida, et superinposito panno unguento communi illinito faciliter erant sanatae.

Quadrant etiam incisiones in *haemorrhoidibus caecis*, et quidem in nodis sphincteris incarceratis et inflammatis, ita ut taxis tentata nullo modo perfici potuerit, ubi incisio horum nodorum ipsi sphincteris discissione praefertur; porro in *haemorrhoidibus* quoque *non incarceratis*, quam maxime autem inflammatis, tumentibus et dolorificis, quorum involucrum, insimul admodum incrassatum vel degeneratum invenitur; in quibus casibus incisio hirudinum applicatione efficaciorem se praestitit.

Multi ophtalmologiae cultores in *ophtalmia* quoque *idiopathica* (chemosi) praemissa venaesectione, atque hirudinum applicatione, conjunctivam intumescentem, sat profunde forma radiosa, quin tamen sclerotica laedatur, scarificare suadent; ita etiam scarificationes conjunctivae palpebrarum in *ectropio duro accinoso* ante medicamentorum causticorum usum, ut hic efficacior reddatur, instituere monent.

Quum vero scarificationes maxime dolorificam, formidolosam, et quoad successum, si seriua praecipue in usum trahantur, omnino et dubiam sistant sanguinis evacuandi methodum, quae cica-

trices saepe reliquit; formositatem partis illius, in qua institutae fuerant, laedentes, sine magna circumspectione et prudentia non sunt adhibendae, praecipue in facie, collo et manibus foeminarum sine urgente necessitate adplicari minus consultum est.

Incisiones, ne incommodum quoddam inde nascatur, juxta regulas chirurgicas, et quidem semper secundum decursum fibrarum muscularium, tendinum, nervorum, vasorumque majorum, nunquam autem supra articulationes paucis musculis obductas sunt faciendae.

Quod numerum incisionum attinet, pro varia parte affecta et inflammationis extensione, vel una vel duae, vel plures adhuc incisiones fieri debent.

DE USU HIRUDINUM.

Illa sanguinis depletio, quae hirudinum applicatione impetratur, est omnium topicarum usitatissima, parum dolorifica, in casibus plerisque topicam sanguinis evacuationem exigentibus efficacissima, in foeminis delicatioribus et infantibus omnium convenientissima, et hic ad ipsas venaesectionis vices agendas aptissima.

Hirudines enim sunt, quarum ope non solum sanguis ex superficie partis affectae evacuatur, processus vitalis hic excedens deprimitur, humores in systemate capillari infra cutem stagnantes

moventur; verum etiam ad ipsa vasa et dissita et profundiora agitur, sanguis ad externam cutis superficiem, irritatione nimirum per illarum morsum atque suctum excitata, copiose allicitur, cruorque a dissitiore parte affecta potenter derivatur.

Hac ratione, qua hirudines in vicinia organi affecti vel huic plane apponuntur, semper est respiciendum, ut tantus eorum numerus in usum trabatur, qui sufficiat ad debitam sanguinis copiam evacuandam, ne malum a sanguine copiosius elicito in pejus adhuc ruat.

Numerus sanguisugarum adplicandarum varius est pro varia nempe aegrotantis aetate et compage ipsius corporis, pro varia in-et extensione morbi. Hinc in infantibus teneris hirudines 2 — 4 effluxu sanguinis non impedito plerumque sufficiunt, et in infantibus natu majoribus 4 — 8; in adultis, affectionis gravitate praeprimis urgente 10 — 20 unica vice requiruntur. Quantitas sanguinis ab una hirudine communi exsucti, cum illa, quae insimul effluit, vix unciam semis excedit.

Locum applicationis, quod attinet, sanguisugarum, ubi venaesectionis loco adhibentur — ni forte locus per passionem topicam determinetur — ad brachia, pectus, abdomen etc. applicari solent.

Caeterum in affectionibus localibus in vicinia

partis morbo obsessae, applicandae nunquam, vel saltem rarissime in inflammationibus externis, parti affectae immediate apponendae sunt; quoniam illarum morsu inflammatio facile augetur et suppuratio, imo et gangraena inducitur.

MORBORUM FORMAE USUM ILLARUM INDICANTES.

Hirudinum applicatio in omnibus illis fere morborum formis, quae pro usu topicarum sanguinis evacuationum in genere recensebantur, locum habent. Indicantur itaque:

1. *In febribus acutis, sthenicis, infantes et subjecta teneriora infestantibus*, ad quas vincendas universalis sanguinis depletio necessaria est; in quibus individuis, si numerus sanguisugarum congruus in vicinia partis affectae applicetur, non tantum venaesectionis instar in partes agunt, sed simul sanguinem in organo affecto accumulatum detrahunt, reactionem vasorum exaltatam imminuunt, et omnes inflammationis sequelas infaustas prohibent. Ejusmodi febribus adnumerantur:

A. Febris hydrocephalica, seu hydrops acutus cerebri infantum, ubi in stadio primo seu inflammatorio, et in illo prodromorum optime saepe conducunt sanguisugae ad diathesim phlogisticam exstinguendam, effusionemque serosam tu-

to praepediendam. In hunc finem 2—4—10 et plures adhuc retro aures, vel ad tempora adponantur, et si rerum status id postulaverit, earum appositio repetatur.

b. Dentitio difficilis, nota inflammatoria, febri valida, congestionibus sanguinis versus caput, et statu soporoso stipata.

c. Febres exanthematicae acutae v. g. scarlatina morbilli etc. indolem inflammatoriam offerentes, locali inflammatione encephali, colli, organorum respirationis etc. notabili, praeditae.

d. Blepharophtalmia neonatorum quando in primo morbi stadio symptomata plethorae verae, vel magnus sanguinis impetus versus caput observantur, ita ut phrenitis, aut destructio bulbi exinde timenda esset.

e. Angina membranacea, ubi imprimis sanguisugae maximas promeruerunt laudes; et certe princeps ei maxime necessarium sistunt remedium, quod ipsae venaesectioni longe est anteponendum.

Sunt quidem medici, qui universales sanguinis missiones largissimas ad animi deliquia ac convulsiones usque protractas commendant, et a se ipsis felici cum successu institutas affirmant: plurimi tamen, et summatim omnes recentiores hoc consilium dissuadent, et evacuationes topicas, ope nempe hirudinum institutas, illis universalibus praeferunt, et quidem omni jure; hirudinum enim

applicatione ad laryngem et tracheam, sanguis ex parte affecta immediate detrahitur, status inflammatorius ibi sese evolvens, quasi in sua origine reprimitur, vel ille jam evolutus quantocius coërcetur, et exsudatio lymphae plasticae praepeditur, multum saltem restringitur et minus periculosa redditur, quin et organismus universalis ultra normam debilitetur.

Venaesectio autem, quae totius quidem systematis vasorum reactionem deprimit, organismumque debilitat, in locum tamen affectum immediate non agit, topicae sanguinis depletiones vices supplere nunquam valet.

Iterum tamen, et nonnunquam casus occurrere possunt, ubi venaesicisio sanguisugarum usui praemittenda est, et quidem si subjecta adultiora, robusta, vere plethorica hoc morbo corripiantur, et febri admodum valida vexentur, vel si signa inflammationis pulmonum simul manifestentur.

Phlebotomia autem instituta, sanguisugae etiam in usum trahendae; hirudines enim ut bonum edant effectum semper in morbi principio; membranis nempe nondum efformatis in usum vocandae sunt, secus non tantum non prosunt, sed in detrimentum magis corporis agunt.

f. Omnes summatim febres asthenicae infantum, congestionibus sanguinis circa organon nobile, vel topica alicujus partis inflammatione urgente stipatae, exigunt sanguisugarum usum.

Locum itaque habent in inflammatione pulmonum, pleurae, hepatis, peritonaei, intestinorum, aut cujuscunque partis organismi.

2 Hirudines porro in *malis gravioribus topicis adultorum*, sive *in insignioribus inflammationibus*, sive *in valido sanguinis impetu* versus organon nobile (encephalon, pulmones) consistentibus, cum modica tamen virium exuberantia, vasorum reactione, aut iis jamjam mitigatis, phlogosique fracta per universales sanguinis depletiones, imo in ipso etiam statu virium passivo, vel saltem intermedio illo, et activo in passivum transeunte, locali affectione quadam urgente.

Sub his conditionibus laudantur: in *encephalitide, myelitide, ophtalmia, otitide, parotitide, cynanche faucium, oesophagitide, laryngitide, tracheitide, bronchitide, pneumonitide, pericarditide, carditide, diaphragmatitide, hepatitide, splenitide, peritonitide, gastritide, enteritide, nephritide, metritide, cystitide, psoitide, phallitide, orchitide etc.*

Laudantur porro in *inflammationibus phlegmonosis* musculorum externorum, et in panaritio, nec non in *inflammationibus sic dictis spuriis*, membranarum mucosarum, fibrosarum nec non serosarum, et in passionibus rheumaticis, arthriticis et catarrhalibus, in quocunque corporis loco sedem figentibus, maxime saepe conferunt sanguisugae ad topicam illam inflammationem

compescendam, dolores mitigandos et metastases illas lethales, in quas febres rheumaticae admodum nituntur, praecavendas.

Si subitaneum saepe inferunt levamen in doloribus rheumaticis capitis, oculorum, aurium internarum, dentium, in affectione rheumatica pleurae, peritonaei, vesicae urinariae, uteri etc. ita ut in lumbagine et ischiade rheumatica, in affectione quoque rheumatica articulorum (arthritide acuta) in coxalgia etc. ipsa jam facta metastasi (ad cerebrum, meninges, pericardium vel pulmones) scopo derivandi nonnunquam et salubriter agunt hirudines, mortem jam imminentem apoplecticam, syncopticam, vel suffocativam ab aegro de vita sua jam desperante, repudiando.

3. *In nevrosibus*, quae vel ex statu locali inflammatorio, vel congestionibus sanguinis versus caput originem suam ducunt, qualemcunque formam offerentibus, praeprimis cum sensus communis errore incedentibus, earum applicatio seque indicata est. Bene hac ratione agunt hirudines in *cephalalgia*, *otalgia*, *odontalgia*, *arthralgia*, *ischiade*, *scelalgia*, *chiragra*, *podagra* etc. apprime in *mania*, porro in *susurru aurium*, *vertigine*, *lethargo*, *apoplexia*, tandem in *epilepsia*, nec non in *tetano* et *convulsionibus infantum*.

4. Hirudines tandem non raro et princeps remediorum praestant *ad profluvia consueta sup-*

pressa iterum revocanda, vel vires eorum saltem supplendas, ubi etiam revulsionis vel derivationis effectus magis quam debilitandi scopus illa respiciendus venit. Optime quadrant ergo in haemorrhoidibus, lochiis vel mensibus suppressis, quando nimirum mala graviora inde gignuntur, ubi non raro efficacius agunt, quae pro vario scopo vel ano, vel pudendis, vel internae crurum paginae apponendae veniunt.

5. De usu cucurbitarum cruentarum.

Effectus cucurbitarum, per quas sanguis ex pluribus cutis incisionibus, ope aeris rarefacti detrabitur, illi hirudinum maxime analogus est; hinc in omnibus fere casibus, ubi sanguisugarum usus indicatur, dummodo locus affectionis cucurbitarum applicationi accommodatus sit, illas adhibere liceret: rarius tamen ac hirudines a medicis generatim in usum vocantur, partim, quod illarum applicatio majori irritatione stipetur, partim quod minorem sanguinis copiam evacuent, nec eae ubique locorum commode et topicae passioni satis probe applicari, nec morbo convenienti numero adhiberi possint.

Sunt vero casus singulares, in quibus cucurbitarum usus optime convenit, imo ipsis hirudinibus nonnunquam palmam praeripiunt, tum nimirum, quando praeter sanguinis evacuationem,

eum simul a parte affecta dissitiori derivare, aut per irritationem in cutis superficie excitatam modo antagonistico dolorem profundiorem mitigare, vel spasmos solvere volumus.

Illarum enim ope, licet minor sanguinis quantitas, quam hirudinibus subtrahatur, intensior tamen revulsio impetratur, potentius in scopum antagonisticum, agitur atque minor vis sopiens et antispasmodica illis adscribitur.

Quadrant ergo imprimis in morbis dolorificis v. g. *arthriticis, rheumaticis*, in *coxalgia, ischiade, lumbagine* etc. ad *haemorrhoides*, praecipue *menses, revocandos suppressos*, in inflammationibus et internis praesertim viscerum, thoracis et abdominis, uti e. g. colica inflammatoria nec non in ipsa phrenitide, aliisque malis capitis, sanguinis congestionibus stipatis, ubi tum in regione occipitis applicandae, quoniam tali ratione sanguis ex venulis cum sinubus cerebri immediate connexis detrahitur. Ceterum semper parti apponuntur affectae.

DE HIRUDINE ARTIFICIALI

Superest, ut in fine dissertationis meae, de hirudine artificiali in Anglia inventa, quandam mentionem faciam.

Sanguisugus hic apparatus (hirudo artificialis) constat ex cucurbita scarificante— Schroe-

pfschnepper — quae lancearum loco quinque aculeis trilateralibus instructa et cylindro vitreo, in cujus fundo orichalceus sipho sugens torquendo fixus est.

Impositis illis aculeis loco cuidam integumentorum communium indicato, mediante pressione in laminam ferream (chalybeam) cucurbitae scarificantis quinque vulnuscula triangularia in cute efficiuntur, hisce imponitur, vitreus ille cylindrus, dein pistillum siphonis sugentis retrahitur, quo cylindro inclusus nunc rarefactus aër irruenti sanguini minus offert impedimentum, favetque effluxui sanguinis e quinque illis vulnusculis.

Hac ex descriptione quivis intelligit, hirudinem artificialem nil aliud esse, quam modificatam magisque complicatam speciem nostrarum cucurbitarum cruentarum, quae ab his tum quoad effectum, tum quoad usum restrictum differre vix potest, et certe minus juste hirudinis nomen meretur.

174.

THESES DEFENDENDAE

I.

Calomel, palmam in hepatitide, phlogosi fracta, praeripit aliis remediis.

II.

Cortex peruvianus in febribus intermittentibus nonnunquam plus damni, quam emolumenti affert.

III.

Dantur morbi per quos in infantibus facultates mentis supprimuntur.

IV.

Anginam pectoris morbum esse organicum censeo.

V.

Erysipelas éxanthema est genuinum.

VI.

Emollitio cerebri sine inflammatione praegressa exoriri potest.

VII.

Arthritis valde a rheumatismo differt.

VIII.

Aqua mera externe et interne adplicata est medicamentum potens.

IX.

Hypersthenia est potius morbus, quam sanitas exuberans nominandus.

X.

Somnus omnis in delirio potatorum trementе est criticus.

XI.

Syphilis hereditaria non datur.

XII.

Febris intermittens simplex est nevrosis systematis gangliaris.

178